

48837.

ORATIO
DE LAUDIBUS ET RE-
buis gestis

GUSTAVI
MAGNI

REGIS INCOMPARABILIS,
Regis (heu quondam) Suecorum, Go-
thorum, Vandalorumq; &c.

Scripta & pronunciata.

à

M. HERMANNO SAMSONIO,
Pastore, Superintendente, & Professore
Theologiae.

*In fine orationis adjuncta sunt carmina aliorum
doctorum virorum.*

RIGÆ LIVONUM,

Typis GERHARDI Schröder /
ANNO M. DC. XXXIV.



I summa rei à votis esset suspendenda,
Generose Dn. Gubernator, Magnifice Dn.
Burgraviæ, Nobilissimi, Amplissimi, Spectatissi-
simi, Reverendi admodum, Excellentissimi, Clarissimi,
& honoratissimi viri, tuq; florentissima studiosorum co-
rona: Si inquam, summa rei à votis esset suspendenda,
possetq; rerum series interpolari, ac factum infectum
reddi: nihil sane optabilius esset, quàm universo hoc labo-
re supersedere, neq; interiorum animi mei dolorem, qui
me totum conturbavit, apud vos effundere. Utinam
enim! atq; iterum utinam ex mortalium consuetudine
haud decelsisset, qui præteritum annum funere suo no-
bis fecit lamentabilem, & cujus memoriam tot desiderijs
revocavimus, *GVSTAVVS ADOLPHVS* e-
xemplum & spectamen optimi Regis, & princeps omni
laude cumulatissimus, ac post hominum memoriam
clarissimus!

Vos omnes testor, qui in oculis atq; deliciis habu-
istis Regem, maximis dotibus à DEO instructum, & verè
sanctum atq; venerabile solidæ virtutis exemplar! qualis
is in consiliis, qualis in extemporanea facundia, qualis in
discursibus, qualis in pace, qualis in bello, qualis deniq;

in privata fuerit vita, probe novistis. Iple Martem cum arte conjunxerat, & quoties à bellicis laboribus, in quos propter tempestates horum temporum impensius incumbebat, respirabat: toties animum ad literarum studia convertibat. Prisci enim sapientes, ut docerent minores, utrumq; studium pulchrè conjungi, & eò præstantiorem futurum belli ducem, quò esset sapientior: igitur Minervam finxerunt loricatam, quæ in capite galeam ferret, dextrà teneret hastam, sinistrà caput Medusæ in parmula.

Meministis, quoties rebus præclarè gestis intimo voluptatis sensu vos perfuderit! Recordamini, quoties omnia sua consilia & instituta eò retulerit, ut ad solidam & constantem pacem iter aperire! Tenetis deniq; quanta gratia civitatem nostram, nosq; omnes eam inhabitantes fuerit complexus! ita ut sæpe eum non Regem, sed Patrem simus experti. O funestum illum & luctuosum diem, quò specimen boni Principis, (ita de Theodosio Imperatore judicat Ambrosius) nobis eripuit! illa ætate, quam multi scelerati vivendo duplicant: illo animo, quo paratus erat bene mereri de omnibus: illa dignitate & indole, quà quod volebat, præstare poterat: illo deniq; tempore, quod suis, quod familiæ, quod regno, quod omnibus bonis tum in regno, tum extra regnum constitutis præproperum nimis est atq; immaturum.

Amisimus Regem bonorum optimum: amisimus Principem (ut Ambrosius de Valentiniano censuit) in
quo

quò duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas, & consiliorum senectus: amisimus Patrem patriæ, in quo via justitiæ & trames æquitatis basin suam fixit, quod Henrici VII, scitis fuisse elogium, quem Monachus pane Eucharistiæ toxicato Beneventi interemit: amisimus deniq; auream, imò unicam regni columnam, coronam capitis nostri, currum & aurigam Israelis, qui gloriæ DEi & saluti publicæ omnia conatum suorum vela pandebat.

Mentione mortis profectò cor mihi & cerebrum liquefcere sentio auditores, & acerbissimum dolorem animo meo offerri. Vnde enim vox ista singultans & verba semesa! Vnde lacrimæ, quas ex his oculis ebullire cernitis! Mors Regis nostri, Auditores, mors Regis nostri & ingenium & vocem nobis intercludit. Utinam de vitæ nostræ demenso vitam illius redimere possemus? Et quid tamen faciamus! quandoquidem neq; constantia virum nimis lugere funera suorum suadeat, neq; pietas Christianum: mittamus querelas, aut certè mitigemus, oculos atq; animos ad vulneris hujus auctorem erigentes nempe DEum. DEus hoc non permisit solum, sed immisit: Quid ni ergo æquum censeamus, ut sibi homo non displicere sinat, quod DEo placuisse intelligit. Ad hoc sacramentum adacti sumus, inquit Seneca, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitæ potestatis nostræ non est: in regno nati sumus, DEo parere libertas est. Cum igitur DEo immortalis vitæ nostræ terminum
A 3
minum

minum & metam præficienti ita visum sit, qui innocentes & optimas quasq; animas præ aliis ad beatam illam vitam traducit: abjiciamus nos subter omnipotentem DEi manum, neq; solum dolorem ex obitu ejus perceptum, sed etiam memoriam nominis virtutumq; celebrationem communem nobis omnibus esse sinamus.

Atq; utinam illi tantus præco in hoc supremo honore contigisset, qualem virtutem & dignitatem ejus deponere, omnes intelligitis! nunc ego inventus sum, non electus ex omnibus, qui optimè possem, sed relictus unus, cui omne studium subjectissimæ operæ & debitæ gratitudinis à me paratum esset: neq; ut ille pro virtutum & rerum gestarum magnitudine laudatus: sed ne plane in hoc nostro gymnasio indietus atq; illaudatus mansisse diceretur. Cur vero illud non sit maturius factum, causa hæc est, quod inopinato hoc obitu hebetiores redditæ fuerint animi mei cogitationes, incitatioq; pristina resederit, quam cum tempore elicere debui.

Quamquam autem permulta sunt, quæ de tam incomparabili Rege dici possent: neq; enim quisquam vestrum existimet, me infinitas ejus laudes aut unius horæ aut orationis ambitu circumscribere posse: tamen ex infinito laudum cumulo capita modò rerum & fastigia decerpam breviter, & delibabo: & cum primis illa urgebo, quæ in *GVSTAVO* tanquam propria & singularia dona enituerunt ac effulserunt. Insistam vero vestigiis antiquorum & disertorum hominum, qui hujus generis lau-

ris laudationes ante me condiderunt. Quod dum facio, oro obtestorq; vos per ipsum illum Regem, de quo verba sum facturus, ut me attentè bonaq; cū gratia audiat.

Natus est *GVSTAVVS ADOLPHVS* anno æræ Christianæ supra millesimum, quingentesimum, nonagesimo quarto in primaria totius regni Sueciæ sede & Regia, quæ est Stockholmia, Patre Serenissimo Rege Sueciæ *CAROLO* hujus nominis IX. & Serenissima matre *CHRISTINA*, Celsissimi *ADOLPHI* Holsatiæ Ducis filia, qui in ipsum bona animi & corporis largè transfuderunt. Non sum Genealogus, neq; instituti mei est, generis seriem ab ultimo usq; principio accessere. Fecerunt hoc alii ante me, & regiæ prosapiæ hujus seriem in tabula magna & ampla repræsentarūt. Dum vero Patrem *CAROLUM* nomino, scitote, me liberatis patriæ vindicem & fundatorem salutis publicæ, atq; speculum omnium primarum virtutum, quæ in principibus viris refulserunt, oculis vestris subjecisse. Erant in illo Rege ingenium, literæ, facundia, officium, beneficentia, religio, prudentia, labor, industria, animositas, cum humanitate comitas, amicitia studium, in negotiis & privatis & publicis consilium, in omnibus dexteritas. Unde etiam rebus Suecicis fluctuantibus & supra modum perturbatis, omnes ab hoc ipso salutem expectabant, & flagitabant. Dicam uno verbo: *CAROLUS* regnum Sueciæ è tempestate maxima tutò in portum collocavit.

Dum etiam *CHRISTINAM* matrem exprimo,

mo, iudicate, quod in ea vere eluxerint modestia in omni
vita & in DEum pietas, virtutum matronalium Regia-
rum testes atq; principes, Hæ enim tantæ sunt, ut in qui-
bus extent, ne de iis vel minimum sinistrè suspicandi e-
ciam malevolis aliquid relinquunt loci.

Fuit in *GUSTAVO* proceritas corporis, capitis maje-
stas, oris dignitas, fulgor oculorum protuberantium, ru-
bescentes genæ, veneranda pariter & grata majestas, quæ
perstringat simul, & invitet aspectus. Non frustra enim
doctissimi viri dicunt, naturam ipsam magnis mentibus
domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis
atq; decore membrorum colligi posse, quantus illum cæ-
lestis spiritus intrârit habitator.

A talibus igitur Serenissimis Parentibus natus atq;
educatus *GUSTAVVS*, mox in regiam disciplinam
traditus, aliquot linguarum cognitione imbutus, ac salu-
taribus bonarum artium præceptis institutus fuit, ut e-
jus animus ad virtutem regiam & imperium subigeretur.
Si enim DEum animo contueamur, in quo cum sint æ-
vum nullo mensuratum tempore, potentia omnium &
ipsa sapientia, quæ est omnis scientiæ & perpetuæ bonita-
tis perfectio, omnesq; numeros DEitatis absolvit. Quare
cum Rex sive Princeps imago DEI esse debeat, necesse est,
ut omne suum studium ad sapientiæ referat, quia per
eam quam proximè ad DEum accedit.

Talis autem sapientia ex Philosophia tanquam è di-
vite penu depromitur: quod qui negat, non solum re-
rum

rum bonarum nihil intelligit, sed prophanus & in ipsius
rationis auctorem contumeliosus est. Illa namq; expe-
ditam iis viam monstrat, quorum animi conflati sunt ex
auro illo Platónico, ut boni viri evadant, & mentes ab o-
mni labe expurgent, & aliquam sibi salutarium consilio-
rum copiam parent, quæ ex ipsa ratione scaturiat. Neq;
enim per Philosophiam intelligo inanem verborum pro-
fluentiam, rerum soliditate vacuum: neq; sophisticandi
habitum, quem illi, qui tintinnabula sophistica audire
cupiunt, hodie affectant: ut onusti opinione sapientiæ
garrulitatis divitias passim impudenter apud imperitos
spargant: Sed veterum scriptorum monumenta, ex quo-
rum diligenti lectione post ridie aliquis melior reddatur,
quam pridie fuit, & majorum suorum claritatem suis e-
tiam factis illustret. Quam graviter Seneca Philosophus
mei stomachi tradit: Paucis opus est ad bonam mentem
literis, sed nos ut cætera in supervacaneum diffundimus:
ita Philosophiam ipsam: Quemadmodum omnium, sic
literarum quoq; intemperantia laboramus: non *VITÆ*
sed *SCHOLÆ* discimus. Quæ nervosè item nostri seculi
alter Seneca Caselius ait: scientiam nihil esse sine mori-
bus & pietate: nec mores in sola elegantia, sed in animo
sitos: hunc vere fontem rectè factorum & meritorum
perhiberi: nec pietatem in ceremoniis, sed in mente defi-
xa in parentem omnium: nec absq; illis existere, quas
virtutes morum appellatione notamus. Hæc omnia at-
tenderunt, Aristoteles & Cicero, cum ille commentarios

mo. iudicare quod in ea vasa sunt
ad Nicomachum filium, hic ad Marcum filium libros
de officiis mitteret.

Quibus omnibus si historiarum studium & rerum
gestarum lectio adjuncta fuerit, non video, quid ad ve-
rum sapientiae decus consequendum frena Reipub. mo-
derandae tractaturo deesse possit! Quantus vero noster
Rex incomparabilis in hoc studiorum genere extiterit,
norunt omnes, quotquot actiones ipsius etiam in iu-
venili aetate acerrimis, quod ajunt, oculis contemplati
sunt. Ille enim dignitatem suam non in purpura & au-
reistorquibus positam esse existimabat: sed ut singularis
aliquid sapientiae in mentis arcula semper circumferret.

Quia vero animi bona nobis non comparamus,
ut recondita ipsa possideamus: sed iis partim tacite per-
fruamur, quae est sapientia; partim in vitae officiis uta-
mur, quae prudentia virtutum oculus, sive actionum
nostrarum magistra & moderatrix: Ideo Rex noster
hujus etiam virtutis radios maturè de se spargere cepit:
ita ut quilibet facile arbitrari posset, quod animus ipsius
profundissimum sapientiae & prudentiae domicilium
erescere aetate futurus esset. Mens enim ratione infor-
mat animum, animus confirmatus & ad bonum satis
munitus prodit ad agendum: neque non ad dicendum sa-
penumero, quando quae ad rem faciunt, praecipienda,
aut consilia, quibus ceterae actiones diriguntur, expli-
canda sunt. Namque qui colit studia, ea non colit, uti
Aspendius cytharædus, qui sibi tantum canebat: vel ut
gryphes

gryphes in montibus intident auro, ne quis usus sit homi-
nibus: sed omnia refert ad usus primos patriae.

Ceterum Musæ cum puræ elegantesque, sint, & sibi
in societatem etiam assiscant Gratias: ideo oratio, quæ
menti humanæ ancillatur, ut fida interpret, & ad plures
internuncia, nihil sordidum, nihil inquinatum, nihil de-
niq; feculentum sectabitur. Non decet nobilem ma-
tronam famula sordida & pannosa, sed pura & expedita.
Vnde meritò ridentur illi, ex quorum sive calamo sive ore
tanquam ex uberrimo fonte omnis verborum illuvies
in alios exundat: ut ad telam & colum sedentium ple-
rasque, aniculas aut puellas disertiores dixeris, quam istius
tribus viros.

Quam vero noster Rex de omnibus eloquentiae e-
pulis lautissimis delibaret non vulgaria, vel ex eo appa-
ruit, quod ad arcem ipsam eloquentiae contenderit, &
latina lingua usus sit nitidissime & elegantissime: ita ut
à Gratiis enutritus, à Musis educatus dici, & cum quovis
gradu conferre potuerit. Qui enim hanc facultatem
sibi adolescens neglexerit, paulo provectior vix aliquan-
do adepturus videatur.

Cum vero omnes studiorum conatus evertantur, nisi
constantia in labore nitantur: ideo verè de Rege nostro di-
ci potest, quod non solum metam noverit, sed è carceribus
egressus & in media semita percurrens, illam propius aspe-
xerit, nec ab ea oculos dimoverit antè, quàm quo voluit, per-
venisset.

mo, iudicate, quod in ea vana aliquid
venisset. Qui enim in quacunq; disciplina vel petulan-
tia vel otio frena laxant, suo falso commodo & publico
malo vivunt: neq; tales animi vel de sui cultu, vel de sum-
ma Reipub. cogitant. Ad utrumq; vero plurimum con-
ferunt literæ, eas qui colit, se ad vitam privatam rectè de-
gendam, & ad Rempub. capeffendam, beneq; de patria
merendum rectè parat: quarum rerum voluntas in pau-
cis est, qui primos in civitate honores alia via affectant.
Quare constantia animi & laboris continuatio est rarum
juventuris bonum,

Intellexit hoc Serenissimus nostri Regis parens, qui
industriam filii sui salutaribus ac paternis admonitioni-
bus semper acuit, ejusq; conatus flabello quasi animavit,
ne olim ipsum pæniteret illius dementiæ, cum ætatem &
operam & alias consulendi rebus suis occasiones se ami-
sisse sentiret. Quantus enim proh dolor est manipulus
eorum, qui ad illam aram, ut veteres loquebantur, patri-
monii naufragium fecerunt, & vix ipsi è mediis fluctibus
cum tabulis enatarunt. Siquidem non attenderunt, quod
nulla avaricia sit laudabilis, præterquam temporis: illud
bene collocari ab iis debet, qui in militia literarum & vir-
tutis stipendia faciunt. Itaq; tam paucos bonæ mentis
candidatos, & bonæ frugis alumnos inveniri, non est mi-
rum: divinum potius beneficium existimandum est,
modesta juvenus & addicta bonæ doctrinæ studiis. Ma-
xima certè pars viam munit ad eversionem privatæ &
publicæ salutis. Et pauci sunt, qui iis, qui humanæ socie-
tatis

tatis spacium primùm ingrediuntur, consilio & ductu re-
ctè præfint. Nam dum ipsimet animum incredibili
studio sub rationis jugum haud miserunt, facile ferre pos-
sunt, ut qui ab iis pendent, nec falsos noxiosq; affectus ad
internecionem deleant, nec in triumpho ducant.

Exhibui vobis Auditores animi bona, ad quæ Rex
noster gloriosissimus felici pede progressus est, à quibus
tamen pietas non debet separari, sicut nec illa à pietate.
Multa sane fuerunt Regis nostri præclaræ virtutes; hæc
tamen, ut loquitur Cicero, lemniscata est, & agmen ducit
omnium virtutum. Ita sentiebat religiosus Rex, absq;
nutu Numinis nutare omnem reliquã felicitatem mor-
taliū: salva ei esse omnia, qui DEUM rite veneretur. Un-
de & Rex noster, qui ad optima quæq; à natura factus, à
cura institutus erat, ante omnia summū illud Numē, qua-
tenus homini datum est, & lux è sacris literis præfertur, nos-
se laboravit, & cognitum piè pureq; venerari: quod qui-
dem utrumq;, nempe rectus de DEO sensus, & rectus in
Deum cultus, quã copula pietas constat, una voce religio
appellatur. Hæc tam altas in pectore Regis nostri radices
egit, ut nec secūda nec adversa fortuna machinis suis eam
subruere & evertere posset. Utinam vero assimilatæ vir-
tutum umbræ apud plusculos non essent pestilentio-
res ipsis hæresibus! Juventus certè hoc seculo nihil minus
curat quam pietatem: templum ingreditur, & vitia re-
dargui audit: sed quotus quisq; de emendanda vita cu-
ram ac cogitationem suscipit! Sarcinam peccatorū per
B 3
exemo.

exomologem apud pœnitentiarium deponit, & vitæ innovationem pollicetur: interim funiculos impietatis ac scelerum, contumaciæ contra leges, & rebellionis contra præceptores strenuè producit: cœnæ Dominicæ communionem animam communit, non ut ejus vires convalescant, sed majus augmentum & robur ad scelera perpetranda inde acquirant, & ad ultimæ licentiæ exemplar nihil reliquum faciant. O tempora! ò mores! Hæc scilicet est pietas plebeiorum adolescentum, quorum fortuna à Regis nostri dignitate tantum distat, quantum summum cælum ab ima terra!

Hactenus Auditores Regem nostrum consideravimus privatim inter studia hærentem, & in amænissimis Musarum hortis flores pulcherrimos & ipsa fragrantia salutem pollicentes, cum voluptate decerpentem: nunc illum contemplemur, postquam è vinculis disciplinæ non pœnitendæ in liberrimum rectæ regiæq; vitæ campum prodiit. Hic vero mihi tam amplissimus dicendi campus aperitur, ut non tam de copia, quam dicendi sine sollicitus esse cogar.

Postquam adoleverat nonnihil *GUSTAVUS* Serenissimi Dn. Parentis Herois maximi (qui semper bellorum Moscovitici, Polonici, Danici mole occupatus erat) castra secutus est, & Tiro ante annos animumque gerens curamq; virilem, haud raro laudabile futuri sui fortissimi animi specimen edidit, & omnes paternæ exspe-

expectationis numeros explevit. Fama & auditione à gravi & fide digno viro accepi, quod tam fortiter contra hostem, dum prima rudimenta militiæ fecit, se gesserit, ut Sereniss. Dn. Parens freno opus habuerit, quo heroicis filii impetus retardaret, eò quod totius imperii salus in ipsum inclinata recumberet. Cum vero ita naturâ comparatum sit, ut venustè ait Horatius lib. 4. carminum:

Fortes creantur fortibus & bonis:

Est in juvenis est in equis patrum

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquila columbam.

Ideo non est mirum, quod familiæ majestas & singularis animi fortitudo liberis seu posteris velut ingenetur.

Quemadmodum autem certo anni tempore dies ac noctes pari passu ambulant, ac paulo post nox longior premere incipit brevior lucem: sic in tota hominis vita gaudium sæpe æquale major tristitia excipit: quod etiam nostro Regi accidit. Sereniss. namq; Dn. Parentem adolescens XVII. fere annorum, anno supra millesimum, sexcentimum, undecimo amisit. Illustrissima vero matre orbatus est post devictos prælio VValhoviano Polonos, anno supra millesimum sexcentimum vigesimo sexto.

Eleganter certè quidam ex Veteribus Fortunam Poëtriam esse dixit, quæ in uno eodemq; homine modò han

mo. iudicare quod in ea videretur
hanc modo illam personam in vitæ humanæ scenam in-
troducatur. Idem etiam in Principibus videre licet : nunc
in lucem eduntur, & infantuli in matris sinu foventur :
mox adolescentes & pueri equitant in arundine longa,
quod Agesilai historia comprobatur : nunc literis conse-
crantur, & ad gubernandum Reipub: clavum præparan-
tur : mox ex Ephebis egressi frena regni moderandi tra-
ctant, atq; aurea gloria diffluunt : tandem fabula in hu-
jus vitæ scena bene peracta, de theatro mundi migrant, &
è consuetudine mortalium eximuntur. Mors enim ita
per omnes, ut scitè ac piè Seneca ait. Quid ergo interest,
citius an serius exeat is, cui necessariò exeundum est !
Non ut diu vivamus, curandum est, sed ut bene : & acta
vita metienda est non tempore, sed meritis ac rebus præ-
clarè gestis.

Defunctò Seren. Dn. Parenti in regno Rex noster
successit, & statim Sueciæ Rex declaratus & inauguratus
est : cumq; annus ætatis ejus currens XXIV. appropin-
quaret, secundum regni constitutionem IV. Idium O-
ctobris Anno supra millesimum sexcentimum decimo
septimo secunda admurmuratione coronatus est. O di-
gnum tanto Parente successorem ! O regnum tanto re-
ctore felix & auspdatum ! Biantis dictum est, magistratu
indicari, quantus vir quisq; sit. In imperio Rex GU-
STAVUS Patris virtutes æmulabatur, imò superabat
potissimas, justiciam & beneficentiam, quas verè quis si-
ve columnas sive animas regni dixerit. In his enim ma-
gis elu-

gis elucet majestas, quam in summa potentia & gazis
Arabum.

Debet autem Princeps justus esse primò in se ipsum.
Barbariem siquidem meram respicit, quod adultores ve-
rius quam boni consilarii suis instillant Principibus : Li-
cere, quicquid libeat. Quanto secius & rectius Euripi-
des arbitratur : Non fas, inquit ille, potentes posse, quod
fieri nefas. Et si Princeps suo exemplo alios à vitiis dehor-
tari, & ad regiam virtutum viam reducere velit, necesse
est, ut non solum exemplo bono subditis præluceat : sed
etiam sit ipse canon, proq; omnibus legum tabulis. Sci-
tis, vulgò hoc jactari : Talem esse civitatem, quales sunt
Principum mores : Principes non solum vitia concipere,
sed etiam in civitates infundere, plusq; exemplo quam
peccato nocere, Cicero alicubi verè docet.

Deinde Princeps in subditos justus sit quoq;, jus dicat
omnibus potentibus juxta & infimis, nec patiat se cupi-
ditatibus pravis affectibusve duci, nullam ob causam cui-
quam injuriam ipse faciat, nihil gratiæ largiens, nihil æra-
rio aut potentiæ quærens, aut desiderans neq; à suis neq; à
finitimis : frenos quin potius affectibus injiciat, ratio-
nemq; ducem sequatur : ne sortè idem ei usu veniat, quod
Philippo quondam Regi memorat accidisse Valerius,
qui cum ebrius mulierem, causam ejus sinistrè judican-
do, ream pronunciaffet, ab illa audivit : O Rex provoco
ab ebrio Philippo ad sobrium. Legum quoq; repagu-
la temerè ne transcendat, sed auctoritatem iis conciliet,
C
vitia

mo. iudicare quod in avaricia
vicia & scelera impune grassari nec patiatur, sed archite-
ctos illorum gravissimè puniat & plectat. Cum primis
det operam, ne avaricia stimulante à regia justiciæ via de-
clinat, & talium consiliorum auctores quamvis callidos,
quos iniusticia exercet (apex namq; aliquis iniusticiæ
est avaricia) detestetur ut infernales furias. Univerſæ
enim virtutis usus justicia existimatur, quæ tanquam
margarita in auro in regibus & regum filiis lucere de-
bet.

Huic justiciæ sicut soli beneficentiam Lunæ instar
adjungo, quæ vel ipsa complexa est omnes virtutes, vel
ex omnibus quasi regina una emerſit & conflata est. Il-
lo namq; Rege nihil est divinius, prorsusq; cæleste bo-
num is, qui cum in manu omnia sive maxima quæq; te-
net bonitate ac beneficentia. Egregiè Antisthenes olim
literis prodidit, se nullum instantis ruinæ principatus
aut reipub: certius signum observasse, quam si nullum
sit bonorum & malorum discrimen, id est, ubi non &
virtuti præmia & pænæ scelerosis decernantur. Sicuti
autem pænæ non nisi noxios invadunt: ita beneficia,
munera & dignitates atq; donationes non conferendæ
sunt in quosuis sive indignos: quod imputatum apud
Xiphilinum Macrino, qui in tribuendis honoribus
& magistratibus notatus fuit, quod indignis daret.
Non ergo beneficiis afficiendi sunt, qui vel quotidie in
vino sunt, vel otio disfluunt, sicut multi tempus parvi
æstimant,

æstimant, sapientes in precio habent ut vitam: non item
libidinum ac scelerum ministri: non adulatores, susur-
rones aut quadruplatores: non amphoræ & utres tricon-
gii, aut ventres, ut Eubulus comicus loquitur: non de-
niq; venatores, moriones, histriones, scurræ: sed viri bo-
ni Reipub: & Principis amantes, quos præmia instar co-
tis acuunt ad bene merendum de re communi: qui-
que locupletissimis virtutis & doctrinæ dotibus exor-
nati Rempub: consilio & ope fulciunt. Adde, quod
præmia bene meritis collata seminis in agrum fertilem
projecti rationem & naturam induunt, teste Symmacho
viro Consulari, & ornamentis bonorum incitatur imita-
tio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni.

Cum hac beneficentia connexa est clementia, quam
in his potissimum pono, ut in suppliciis decernendis sic
lenior, sed cum iudicio: idq; ideo adjungo, ne in indul-
gentiam clementia vertat & abeat, pestem Rerumpub:
certissimam. Inde ut in suis injuriis vindicandis sit mi-
rior, neq; omnia ad vivum resecat: Qui enim nescit dis-
simulare, nescit imperare: & deniq; ut Patris genium &
in genium subditis suis prober.

Quod primum concernit, Trajani apophtegma
menti infigat Princeps, crebro in ore habentis: Insanum
esse eum, qui oculos habens lippientes malit effodere,
quam curare. Digna sano tanto Principe vox, qui sub-
ditos nobilissimo corporis sui membro conferre, pro
voluptate habuit.

mo. indicare quod in ea vera est
In suis porro injuriis vindicandis Princeps esse debet lenior. Sicuti enim præcisæ arbores plurimis ramis repullulant: ita hoste sublato uno plures prodeunt. Unde princeps illud tyrannicum usurpare cogitur: Oderint, dum metuant.

Tandem dixi, Principem patriæ Patrem esse debere, totam Rempub. debita cura complecti, condolere miseris subditorum suorum, & laborantem illorum fortunam, quacunq; parte potest, sublevare. Sic omnes Principem in carissimis habebunt, & objectu proprii corporis ipsius vitam redimere studebunt. Optimum siquidem munimentum, Seneca ita censente, nullo munimento egere.

Has virtutes togatas, Auditores, jam applicemus ad nostrum Regem. *Justus is fuit in se*, ut pote quia omnia sua consilia & vitæ instituta ad legem tanquam ad cynosuram veri & boni retulit, nec sibi quicquam indulgit, quod rationi & virtuti non consentaneum esset. Virtutes enim regis in horto & viridario animi ejus radices egerunt, & studia sapientiæ ipsum suffultum tenuerunt.

Justus ipse quoq; fuit in subditos, quia animum suum rectis consiliis instruxit, justitiæ sceptrum non incurvavit, ac conservavit proportionem omnium ordinum, ne quid dissonaret aut discreparet in regno: & idcirco Senatū habuit, quod non videret orania, & optimi Reges in nonnullis hallucinarentur: velle se moneri, etiamsi quid urgeat obstinatius, & hanc se putare suam victori-
am,

am, si rationibus expugnetur. *O tactum memorabile, & omninò divinitus gubernatum!* Hinc tam præclarè de regno meritus est, ut omnibus rebus in ordinem redactis, è tam altis adversæ fortunæ fluctibus in quietum felicemq; portum emerferit, & rebus præclarè domi gestis æternum nominis sui Mausoleum vivis bonarum actionum lapidibus extruxerit. Itaq; mirum non sit, si ex humanæ vitæ portu solvens, incredibile & suis populis & nobis omnibus desiderium reliquerit.

Erat Rex noster *laboriosus*, & laborem tanquam perpetuum fidumq; comitem in vita sumsit. Hic enim est ille nummus in cælo cusus, aureus aut plusquam aureus: quo Epicharmus & Hesiodus monuerunt, DEOS vendere mortalibus bona. Voluptas illi erat exosa, rationis aspernatix, miseriæ machinatix, stulticiæ filia, exitii mater. Noverat siquidem, qui per totos dies illi incumbabant, etiamsi nihil turpe admittant, eos tamen officii nullam partem colere, ne dum aliquod singulare emolumentum ad societatem hominum veluti symbolam conferre.

Beneficentiam Rex noster multis modis declaravit. Ut Succiam prætermittam, tantum illa vestigia vobis subjiciam, quæ Livoniæ nostræ Rex **GUSTAVUS** impressit: contractis enim velis quasi remos orationis meæ inhibere cogor. Primò igitur statum religiosorum in Livonia fundavit, & erroribus Papistarum ex processu Ecclesiæ exterminatis, claram veritatis lucem in
illam

nam rediit. Quid quod cum stupore ex Regie ore
audivi, cum me Superintendentem constitueret: malle
se carere subditis, quam eos sibi subjectos habere ab om-
ni pietatis & religionis sensu aversos. Quam in re Lovi-
niani Imperatoris factum egregium sibi quoq; imitan-
dum statuit. Cum enim Lovinianus à militibus ad im-
perium invitatus raperetur, clamavit, se, cum Christianus
esset, omnino nolle hominum gentilitatem profitenti-
um imperium suscipere: nec prius quam omnes palam
professi essent, se quoq; Christianos esse, imperium acci-
pere voluit, teste Socrate lib. 3. c. 19. O Regem castà a-
nimi pietate coruscantem! O pectus Numinis caelestis
sensu refertum!

Alterum beneficentiae specimen est, quod veritatis &
virtutis officinam Rex noster in Livonia condidit, quam
alii Academiam ab Academi hortis, quos civis ille Athe-
niensis donaverat doctis, ut commodus esset ad dispu-
tandum & docendum locus. Scholam Regiam non
abs re etiam dixerimus, cum ab auctore, tum à rei digni-
tate. Universtatem deniq;, tum quod omnibus patet
aditus, & fonticuli ejus in omnes exundant: tum quod
nihil non liberalium disciplinarum uno loco traditur.
Proinde qui tales dotium animi officinas, sive præcipuo-
rum bonorum fontes condidere, de genere mortalium
supra alios, aut certè non minus atq; ulli alii præclare
meriti, ad perpetuum laudis vernantis decus efflorue-
runt.

Tertium

Tertium beneficentiae documentum est, quod fo-
rum summum constituit, quod est quidam Arcopagus
Livoniae, nec tantum justitiae templum, sed etiam pacis
officina. Atq; ita ultrò fecit, quod Antalcidas monebat
Agésilauum: Oportere Regem legibus opitulari.

Quartum beneficentiae signum est, quod Consistorium
sive sacrum Dicasterium in Livonia aperuit, in quo om-
nes res ad Ecclesiae salutem pertinentes, quae per solum
Superintendentem consopiri nequeunt, conficerentur.
Quo etiam se conferrent illi, qui in matrimonialibus
causis controversias foverent. Haec omnia sacrum ju-
sticiae amorem spirant, Regemq; nostrum caelo æquant.

Non jam multo verborum ambitu enucleabo (li-
bet enim mihi vela orationis contrahere, non expandere)
quanta beneficia apud Rigam patriam meam desidera-
tissimam & Livoniae metropolin tum in deditione, tum
etiam post posuerit. Intellexit namq; Rex prudentis-
simus, matre convalescente salvos etiam fore liberos:
matre vero compressiore fortuna utente liberos etiam la-
boraturos. Sic nimirum beneficentia à natura ipsi insi-
ta, literis aucta, & usu perfecta fuit!

Tandem *clementia* Rex noster incomparabilis declaravit
plurimis, qui vel Serenissimi Patris ipsius vel etiã illius ma-
jestatem violaverant: eosq; ex humili fortuna in altiorem
dignitatis gradum evexit, & singularibus donationibus
ornavit. Beneficentia enim & clementia sunt singulares
animo-

animorum conciliatrices, & multorum malorum depultrices. Habebis Auditores virtutes Regis nostri togatas ordine recensitas, ex quibus manifestum est: sicut olim acclamari solitum fuit novis Imperatoribus: *Ne sis felicior Augusto, melior Trajano*: ita hodie non incommodè usurpari posse: *Ne sis melior & felicior GUSTAVO*.

Quod ut magis magisq; in sensus vestros incurrat, agite pedem ad virtutes ejus bellicas proferamus. Cicero eloquentiæ Romanæ apex pro lege Manilia refert, quod potissimæ virtutes Imperatoris sint, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quæ tantæ fuerunt in nostro Rege, quantæ in omnibus reliquis Imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt.

Labor in negotio in eo eluxit incredibilis, dum diligentiam suam in parandis ad bellum necessariis probavit. Ea Cæsar, docente Xiphilino, rectissimè vidit, pecuniam esse, com meatum, & milites. His enim auctoritas conservatur, victoria paratur: exercitus nummis & com meatu retinetur, com meatus armis paratur. De pecunia ita semper anxius fuit, ne circumfremetia militum murmura aures ipsius percellerent. Noverat enim, quod pecunia nervus sit bellorum, quæ spiritum & animam & motum det exercitui: & quod jejunos exercitus disciplinæ fines facile migret, & fibulam laxet licentiæ.

Accuratam etiam com meatus rationem habuit, dum omnem movit lapidem, ne viæ pabulatoribus &

anno-

annonariis essent infestæ. Seditionibus enim excitandis nulla proclivior datur ansa, quam si in castris vivendi subsidia haud suppetant, & alimenta deficient. Semper etiam hanc curam animo suo versavit, ne com meatus per luxum & immoderatum usum profunderetur, sed frugaliter consumeretur, nec exercitus in rei frumentariæ & cibariæ angustias incideret. Vnde ordinaria per buccinam in castris Regis nostri signa sunt data, ad vasa vinaria atq; cerevisiaria occludenda, & animos ad preces atq; devotionem erigendos. O disciplinam plusquam auream! O laudabile factum omnibus aliis Imperatoribus imitandam!

Quin etiam militem contraxit lectissimum & exercitatissimum, quo hostibus suis formidabilis fuit, iisq; Panicum incussit terrorem. Eum vero non fastidiosè habuit, sed omnem amoris significationem declaravit, dum eos commilitones, imò filios appellavit, quorum vitam sua salute habuit cariorem: quippe quod salus publica in iis quasi acquiescat.

Exemplo quoq; porrò suis præjuit militibus Rex noster. Cum Persæ apud Zosimum flumine regioni immisso Iuliani exercitum transitu se prohibuisse putarent: Iulianus nihil motus antegredi cæpit pedibus ad genua usq; madefactis, exercitu toto Principem sequente. Pudore enim, inquit Historicus, prohibebantur reliqui, cur minus id facerent, quod Imperatorem facere videbant. Idem, ut relatu accepimus, Rex noster fecit non

D

procul

procul à Bauskenburgō: totus ejus exercitus pedibus ad
genua usq; madefactis fluvium transit, postquam Re-
gem præeuntem conspicatus est. Non dicam, quot lu-
tulenta ac lacunosas vias, & campos maximo imbri sta-
gnantes peragrârit! quot loca sylvarum solitudinibus in-
via, cæli crudelitate inhospita, dira nive ac gelu horrida
susperârit! Quoties etiam Rex noster tenui cibo conten-
tus, & atrum panem ac frustum carnis ex manu come-
dens, exercitum suum ad frugalitatem & vitæ duriciem
adduxit & invitavit! Fuit enim vario fortunæ æstu tota
vita exercitatus. Ita nimirum pater Theodosius filium
impuberem instruxit apud Claudianum:

*Ne tibi regis tioria tentoria larga redundent
Deliciis, neve imbelles ad signa ministros
Luxuries armata trahat.*

Quoties armatus in equo singulos ordines circum-
ivit, & si hostis in latus incumberet, versâ in hostem fron-
te oppositam aciem ordinavit. Quoties opere tumultu-
uario se communit, & densatis mox cuneis concurrat!
Quoties in summas murorum pinnas enisus est, & re-
pulsâ statio ejus impetum nullo corporum connixu elu-
ctari potuit! Quoties deniq; in credibili labore plura tro-
phæa hosti extorsit, quam alii viderunt!

Altera virtus Imperatoris secundum Cicero-
nem est *fortitudo in periculis*, quæ in Rege ita re-
fulsit,

fulsit, ut cum omnia scæva & adversa militum ani-
mos frangerent & debilitarent, ipsius tamen virtus o-
mnia pericula discussit. Imò quod mirandum, ubi-
cunq; tormentorum displosorum maxima procella sæ-
viit, ibi ille se stitit, quando reliqui desertâ statione fu-
gerunt: & refractis arcium & civitatum portis primus
cum violentia irrupit. Vnde etiam sæpius cum ho-
ste conflixit, quam quisquam cum inimico concer-
tavit: plura bella gessit, quam cæteri legerunt; plu-
res provincias confecit, quam alii concupierunt: plu-
res hostes ad interuersionem dedit, quam alii, quantum-
vis potentissimi sustinere potuerint. Neq; solum in
fortuna secunda, cum copiis & opibus supra omnes
abundaret: sed etiam in desperatâ, cum ejus res in extre-
mas angustias essent coactæ, fortitudinem suam osten-
dit.

Quoties velitaræ pugnæ factæ sunt tam prope
stationibus dispositis, ut voces utrinq; exaudire fuerint!
Quoties *GUSTAVUS* hostem adegit, ut cum o-
mni suppellectile & impedimentis, vel sine iis, signis vel
explicatis vel complicatis, fune scloppetario vel accenso
vel extincto exiret! Quoties ipso fortiter instante turba-
tis primum ordinibus hostes aucto tumultu in sese re-
voluti, & confusis atq; apertis itidem ordinibus in uti-
les ad pugnandum redditi sunt? Quoties ipsemet de-
cussata verberatione pilas in civitates ejaculatus est,

pinis murorum dejectis & disturbatis ! Quoties incendia huc illuc spargente pulveris tormentarii apotheca, urbes ignem conceperunt, & opinione citius se ei tradiderunt ! Quoties vicinus: inquit, me ducem modò sequatur, quisquis gloriæ studet, & amore patriæ tangitur ! & simul admissio equo impetum fecit, etiamsi numero superior esset hostis ! Vbi propior factus est, comminus rem gessit, eques equiti, pedes pediti oppositus, consertæ manus, & pes pedi collatus, spe quasi certæ victoriæ ipsum incitante, ac susq; deq; habente, utrum æquo an iniquo loco pugnaret. Imò si quis residente pugnandi calore à signis aut dilapsus fuisset, aut ingruentem hostem non sustinisset, is non potuit istius criminis infamiam prius eluere, quam in hosticum fortiter incurrendo, & alternante victoriam fortuna strenue dimicando, ac prædas abigendo.

Iam cogitate, quantum decus sit copulatio sapientiæ & fortitudinis. Vt enim sapientia dat consilia in rebus agendis: sic fortitudo est executrix iustorum & honestorum consiliorum. E contra sapientia sine fortitudine est similis concioni leporum ad leones: & fortitudo sine prudentiâ est impetus cæcus & temerarius cyclopi, cui Ulysses oculum effodit.

Miretur Roma Horatium Coclitem, qui contra omnes hostium copias in ponte unus stetit, à tergoq; pontem intersecindi iussit. Sed nos Coclitæ & Scævola longè anteponamus nostrum Regem, qui parva sæpe manu hostem

adortus

adortus signa cum meo contulit, & acerrimè confligit, & non tam gregariorum multa millia, quam veteranorum legiones funditus evertit. Ille cum militibus in eadem & sitim tulit: ille in conflictu campestri militaribus turmis imperatorium pulverem sudoremq; miscuit, nihil à cæteris nisi robore & præstantia differens: ille eminus libero Marte tela vibravit, nunc vibrata suscepit, alacer virtute militari, & latus, quoties lorice suæ gravior ictus incideret: laudavit ipse ferientes, hortatusq; est, ut auderent, & audebant jam, cum spectator moderatorq; ineuntium certamina arma componeret, & tela tentaret, atq; violenta ejaculatione in hostem fulminaret. Alphonsus Rex Hispanicus usitato more Principum suo quodam symbolo delectatus est. Passim enim pinxit Pelicanum, fodiens rostro pectus, & elicientem sanguinem ad pullos pascendos. Huic picturæ addidit epigramma: *Pro lege & progere*; significans, Principem omnia pericula adire debere & religionis ornandæ & populi defendendi causa. Certè Rex noster fortiter rem gessit pro populo & civitatibus DEI nostri symbolo usus tali: *Cum Deo & victricibus armis*. Quare satius existimavit in bona causa opprimi, quam solutis ordinibus fugere, vel se inimicorum Dominorum arbitrio committere. Rectè enim Teucer apud Sophoclem inquit: In bona causa decet habere bonum animum. Non mirabimur vero, fortem fuisse eum, qui vitam nec desidia nec voluptatibus corruperit, sed vigiliis laboribusq; corroborârit.

adortus
D 3 Tertia

Tertia virtus Imperatoris secundum Ciceronem est *industria in agendo*, quæ circa minuta tempus haud terit, nec anfractuoso sufflamine causam protelat: sed paucorum dierum stativa habet, & belli caput perit, a deoq; nominis celebritatem non superbiæ sed industriæ habet incitamentum. Ignavus siquidem vir, inquit Pindarus Oda prima Olympiorum, non suscipit magnum periculum. Vnde licet DEUS & occasio summam universi operis gubernant, ut Plato in quarto de legibus inquit: tamen præstabilius est concedere, propriam industriam esse adjungendam: ut in navigatione etsi tempestas dominatur: tamen non sunt ociosi remiges: sic in bello etsi DEUS omnia moderatur: tamen propria industria haud excluditur. Gaudent profecto divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas: Ut indefessa vertigo cælum rotat: ut maria æstibus inquieta sunt: ut stare sol nescit: Ita Rex noster continuatis negotiis & in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus est.

Cum hac industria in agendo connexa est vigilantia; Neq; enim virum bellicosum in longam stettere decet noctem, sed (verba Taciti recognoscite) sollicitam vigilantiam anxiasq; curas exercere. De Iasone Argonautarum duce Valerius Flaccus egregie loquitur:

Jamq; mero ludoq; modus, positiq; quietis

Conticuere thoris, solus quibus ordine fufis

Impatiens somni ductor manet.

Utraq; certè virtus in nostro Rege ita enituit, ut pluri-

mos in admirationem & stuporem converterit. Singula namq; temporum momenta ad labores certos habuit dispersita, neq; voluptati aut ocio frenos laxavit, ne suo falso commodo & malo publico viveret. Exercitationes ejus fuerunt, ordines militum sub signa cogere, lustrare turmas, in navalibus versari, arma nova novas machinas excogitare, aut explorare, Vulcaniis machinis aliquid in auras jactare, vires regni ac potentiam librare, Cancellariam visitare, profundissimos cuprifodinæ meatus penetrare, ea domi gerere, ea providere, quæ quocunq; superveniente casu commoditatibus regni essent consentanea, à cervicibus subditorum propulsare rabiem hostium, populos dirigere ac tueri, miseros sublevare, egenos recreare, liberalitate inusitata præstantes viros demereri, meditari, se in hanc universitatis scenam venisse, ut locum suum cum dignitate tueretur: omnia cum fide & integritate administrare: nam prius pariet locusta Lucam bovem, ut Ennius scripsit, quam rem seriam minimam, ne dum summam Rempub. rectè gerat, qui sine integritate & fide sit: interdum ad penuarium veterum sapientium se conferre, & ex iis exquisitissimas & delicatissimas animi epulas degustare: tandem sanctis meditationibus ac votis supremum illud cæli Numen ad salutem regni advocare, & exemplum singularis pietatis in vulgus edere. Hæc omnia qui faciat, nonne eum laboris saxum instar Sylyphi concatenato actu volvere & revolvere dicemus?

Et quæ orationis ubertas Regis nostri vigilantiam exprimet! Juramenti religione sese quis devinxerit, grues

in suis castris nunquam tam vigilantes fuisse, quam
GUSTAVUM. Toro enim exercitu ad quietem
composito, & excubiis rite dispositis Rex vigiliis & labo-
ribus castrensibus fuit deditissimus, & quidem eò usq;
donec exercitus per quietem vires animi & corporis re-
staurando sese commoveret, & prima diei aurora surgeret.
Tum demum ipse reliquis vigilantibus ad quietem se
composuit, non in molli lecto stratus, sed gramine, non
super scamno, sed sub love puro sæpe etiam frigido in
pelle Lybistidos ursæ subjecta, vestibus haud exutus.
Quoties item totus fere exercitus per integram noctem
sub signis stetit per vigilante iridem hoste? O exemplum
Regis incomparabile! O vigilantiam memoratissimis
perpetuæ laudis encomiis prædicandam!

Quarta virtus Imperatoris, Cicerone calculum fe-
rente, est *celeritas in agendo*, quia bella constant celeritate.
Alexander M. interrogatus, qua ratione tantas res gessis-
set, & Asiam subegisset! respondit: Nihil in crastinum
differens. Et calida consilia secundum Plautum sunt
optima. Quam verè dictum olim à sapientibus: O-
mnes Reges Principesq; bis in terris vivere: semel cum
hoc corpore caduco & fluxo: semel in memoria famaq;
hominum, quæ vita cum hoc orbe ac omni ævo termi-
natur. Certè si per nullam aliam virtutem Heros noster
immortale nominis sui decus ad seram posteritatem
transmitteret, utiq; per celeritatem in agendo.

Testis est Moscovia, quam ipse victor sua virtute ad

indu-

inducias faciendas, imo ad perpetuam & solidam pacem
adegit. Testis est Livonia, quam multis undiq; cinctam
periculis non terrore belli, sed celeritate & consiliorum
& actionum explicavit. Testis est Borussia, quæ sæpissimè
plurimos hostes ab hoc superato prostratosq; conspexit.
Testes sunt alii, quorum Suecia sanguine redundavit.
Testis deniq; est Germania, quæ cum servili bello retro
periculosoq; premeretur, ab hoc auxilium absente expe-
tavit: quod bellum expectatione Herois nostri attenua-
tum atq; imminutum pluribus in locis sublatum, in aliis
sepulchrum est. Proh DEum immortalem, si orationis
finis migrare vellem, in quem magnum dicendi campum
excurrere possem! Cæsarem disjunctissimas terras citius
suis victoriis illustrasse legimus, quam cujusquam passi-
bus peragrari potuissent. Romani audendo atq; agendo
res suas auxerunt. Agis primus Archidami filius dixisse
fertur: Lacedæmonios non oportere percontari, quot
sint hostes, sed ubi sint. Significans non à militum nu-
mero pendere victoriam, sed à fortitudine rei q; gerendæ
celeritate. Sed prodeat unus, sive sit Alexander M. sive
Julius Cæsar, sive alius de Roma Heros, sive deniq; Agis,
qui jactare ausit, se in imperio omnium munitissimo &
florentissimo, quale fuit Germania, exiguis copiis, brevi
nempe biennii tempore ducentas & triginta tres (si fides
tribuenda est Historicis) civitates in potestatem suam re-
degit, & redactas juramenti ac fidei religione sibi devinxit,
ac præsidiis firmissimis munivit! Imò qui portus, qui-

E

bus

bus maritimæ civitates spiritum & vitam ducunt, quiq; in prædonum fuerunt potestate, incredibili celeritate & felicitate hostibus extorsit! Consiliis liquidem facta, factis celeritatem adjunxit: nec juvat bene consultasse, nisi consilia exsequaris: neq; bene exsequeris, nisi in tempore & celeriter. Iulio Cæsari tribuitur illud: Veni, vidi, vici: verius nostro *GUSTAVO*. Sic nimirum incomparabili huic Heroi quædam ad amplitudinem & gloriam & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fuit fortuna, ita ut non ex Suecia missus bellator, sed de cælo delapsus, & divino consilio ad hoc bellum conficiendum natus videretur, in cujus potestate omnis felicitas posita esset.

Unde vero illum tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum consecutum fuisse existimatis! Non enim illum eximia quædam vis equorum, aut ars inaudita belligerandi, aut venti aliqui novi tam celeriter in tam remota & disita loca pertulerunt: sed hæ res, quæ ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaricia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit: non libido ad voluptatem: non amænitas ad delectationem: non nobilitas loci ad cognitionem, non deniq; labor ipse ad quietem, postremo ornamenta oppidorum in Germania, quæ cæteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. Miretur sane Græcia, & laudibus in cælum efferat Epaminondam & Pelopidam, qui occuparunt arcem Cadmæam, & inde præsidium La-

conicum

conicum ejecerunt, & Cleombroto Regi Spartano in pugna Leuctrica occurrere non dubitarunt. Mirentur etiam alii C. Cæsarem Dictatorem, cui Plinius animi vigorem præstantissimum tribuit, qui signis collatis quinquagies dimicavit, & à quo præter civiles victorias duodecies centena millia occisa sunt. Nos vero miremur & suspiciamus *GUSTAVUM* Regem incomparabilem, quo non fuit in terris Rex præstantior, sapientia, justitia, & fortitudine, quem non solum externa bella, sed etiam intestinæ dissensiones exercuerunt, quas iudiciôsè repressit, fregit, & cohibuit.

Quinta deniq; virtus Imperatoris secundum Ciceronem est *Consilium in providendo*. Demosthenes in oratione *περὶ σφάρις* exaggerans suum meritum, quod in summa trepidatione solus patriæ consuluerit, tres condiciones in consiliario requirit, videlicet fidem, experientiam, prudentiam. Verba Demosthenis sunt: Tempus illud & dies illa non modò fidelem virum postulabat, sed talem, qui his negotiis ab initio interfuisset, & qui rectè ratiocinaretur, quid moliretur hostis. Nam qui hæc neq; novisset, neq; multo antè studiosè considerasset, etiamsi benevolentia erga civitatem & divitiis excelleret: tamen neq; scire poterat, quid agendum esset, neq; Reipub. consilium dare.

Certe noster Rex abundavit eâ consilii copia, annis jam non ociosè actis, multoq; usu rerum confirmatus, ut, quæ alii longa investigatione haud exuerent, ille extem-

E 2

pore

pore nullo negotio, quasiq; aliud agens ex nativis ingenij opibus depromeret, & prope sub manu consilia inveniret. Accurata enim de rebus quæcunq; in vitam hominum ad deliberandum inciderent, facta contentione videbat, quid verum esset, quid falsum, quid honestum quid turpe, quid utile quid perniciosum: imò in recta sententia confirmatus falsa, turpia, perniciosa non solum ex animo suo, sed etiam ex totis populis delevit: & cum animum vitamq; omnem perpurgasset, etiam legibus virtutem, & quicquid præstare posset bonorum, per longinquas gentes disseminavit.

Quin vero omnia fecerit noster Heros, quæ ad conservandam pacem & profligandos hostes, si ingruissent, requiruntur, nemo dubitat. Providit enim, ut arces, urbes, & portus firmissimis præsiidiis essent muniti, armorum cujuscunq; generis bona copia, commeatu ad tempus non breve, pedites exercitati, terrificus equitatus, periti duces belli non deessent: & ipsi erat animus acer, qui nec minas, nec castra, nec arma, nec impetus hostium horreret, non fretus potentia, sed quodcunq; posse videretur consilio provido moderans: Hinc domi ejus fuit consilium, foris terror.

Narratione aliorum accepimus, maximi alicujus Regis legatum eximium ad nostrum Regem directum fuisse, cum quo Rex in colloquium descendens quæ sivit, cur ipsius Rex ac Dominus non bipartitum exercitum aleret, atq; duobus è locis hostem suum urgeret, & premeret?

meret? Respondit legatus, non dari alium Imperatorem in regno. Conversus Rex ad Senatum regni astantem dixit: septem ex illo numero copias ducere, exercitum regere, & Ducis officium tueri posse. Miris encomiis hanc regni Suecici felicitatem legatus deprædicavit, seq; suo Regi tanquam stupendum & admirandum id relaturum. Sed quid mirum, quod ex tam acri & perpetuo militiae studio, cujusmodi in Græcia Laconum fuit, extiterunt multi bellicosi viri, qui ex ejus schola tanquam ex equo Trojano prodierunt, animosi militiae athletæ. Et thesaurus profecto verè regius est, viri consilio & manu præstantes, qui in ocio otium tueantur, primis commodis una fruentes, & ingruente tempestate hostiles itidem impetus propulsent, primis etiam aditis periculis. Sed quorsum hanc rem Vobis Auditores subjicio, nisi ut palam faciam, Regem nostrum divinitatis comitibus Antevorta & Postvorta instructum fuisse, neq; hoc tantum cogitasse, quod Atticorum Oratorum Coriphæus his verbis protulit: Magni est ingenii, è re natà colligere, quid dicto factove sit opus: *αὐτὸ καὶ δὴ λέγειν & δέοντα* (ut de Themistocle Thucydides pronuntiavit) turpe enim est, re peracta demum intelligere, quid fieri debuisset: sed etiam omnem cogitationem in futura tempora defixisse, ut hoc vel illo duce belli perito consuetudinem mortali-um relinqueret, regnum semper abundaret viris rationes belli gerendi perspectas habentibus. Hinc factum, ut ipse plurimas res domi militiaeq;, terra mariq; gesserit, &

E 3

plurimos populos non quidem sub jugum miserit unquam, sed in veram libertatem asseruerit, sibiq; in perpetuum devinxerit, cum in illos non tam victoriarum, quam pietatis, quam beneficentiae vestigia impresserit, siue earum signa statuerit: atq; ea manebunt, quamdiu erit religio, quam diu humanitas.

Hoc tantum dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à DEO immortali tot & tantas res tacitus ausit optare, quot & quantas DEUS immortalis ad *GUSTAVUM* Regem incomparabilem detulit, Cujus enim nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit! cujus res gestae pares! An vero ullam usquam orationem desertam putatis, quo non illius Herois fama pervaserit, quem DEUS Opt. Max. ad commune religionis & libertatis restaurandae bellum suffragante omni populo depoposcit. Hujus adventus in Germaniam & *VValensteinium* insolitè inflammatum victoria continuit: Cum primis de conatu & spe potiundae urbis *Stralsundensis* depulit, in qua capienda omnes suas vires & operas fuerat expertus: Et *Tillium* magnis copiis Germaniae minitantem, ac felicitatis suae inabruptum cursum jaetantem retardavit. Humanitate praeterea tanta fuit, ut difficile sit dictu, utrum hostes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an malsuetudinem victi dilexerint!

Cogitate vero cum animis vestris, quantis copiis *Tillius* fuerit instructus, quas conjunxerunt *Ligistae* potentissimi, corroborarunt agitatae nationes, contraxerunt integrae gentes, ut nervi nostrae religioni inciderentur: no-

ster vero *Rex* quam parva manu sed animo grandi sese in conspectum ejus penes *Lipsiam* dederit, & operam subsidiariam in eo praelio navarit. Non vero copiae nec vires victoriam asserunt, sed auxilium divinum. Nam DEUS est praecipua causa gubernans eventus bellorum: quanquam *Antonius* est peritior Imperator, quam *Octavius*, & habet exercitus majores: tamen inclinata acie fugit in *Aegyptum*, & cum ab irato victore vitam impetrare haud posset, necem sibi ipsi conscivit. Sic *Pompejus* cum tribus triumphis terrarum illustrasset orbem, & majores copias quam *Caesar* habuisset, pulsus acie, bello profugus *Canopei* *Spadonis* manu occubuit, ut *Ambrosius* inquit lib. 5. epist. 31. Idem accidit quatuor gigantibus, qui bellum injustum populo DEI intulerunt. Eandem fortunae aleam *Tillius* partim penes *Lipsiam*, partim prope *Lechum* adire coactus est: Dum ex desperatione ultimum fortunae suae periculum facere voluit. Abominatio enim est coram DEO, quicquid sublime est in mundo: & quicquid gloriosum est sine agnitione Dei, id evertitur. Ideo tanta ruinae sunt summorum virorum, qui non solum potentia sed etiam virtute antecelluerunt. Quid dicam de *Generalissimo VValensteinio*, qui illud *Lysandri* usurpavit: Pueros astragalis ludere, Reges & Principes juramentis & foederibus. Utinam multi id expendissent, dolosis ejus conatibus aditum atq; animam intercludere, vei quasi machinis eos demoliri potuissent. Laudanda vero est sapiens Regis nostri diffidentia, qui insidias hostis metuens in incerto

dubii eventus salo fluctuare noluit, sed eà in re præcepto Syracidæ obtemperavit: Hosti tuo ne credas in æternum. Multis enim simulationum involucris regitur mens hominum, & quasi quibusdam velis obtenditur. Frons, vultus, oculi sæpe mentiuntur, oratio vero sæpissimè. Ideo sapiente diffidentia nihil est utilius, ut testatur Euripides. Sed nihil est difficilius, quam medium tenere inter stultam credulitatem & cæcam diffidentiam.

Noster autem Rex per multa militiae decora clarus, omnia ad perpendiculum rectissimi iudicij revocavit, & cautà diffidentia hostes elusit. Vt enim arcu exerciti facilius collineant, & à metà minus aberrant: ita in rerum humanarum tractatione versati, quæcunq; iis obijciuntur ingenia, dijudicare possunt, & quid facto opus sit, vident. Cum primis memorabile est istud, quod hostis penes Noribergam rerum summam prælii alex committere noluerit. Quippe noverat incredibilem animi ejus magnitudinem, & rei militaris scientiam: sed veluti vulpecula in antro delitescens in castris se continuerit.

† Lütze- Deinde etiam quando penes [REDACTED] collatis signis cum
nam Rege nostro congredi voluit, à fronte & lateribus fossis & aggeribus se communiit, ut vel hac ratione impedimentum Regi pugnam iniruro objicere posset. Ac jam ferè videor immensum illum virtutum **GUSTAVI** tam togatarum quam bellicarum campum emensus, cujus fama & res gestæ non unius regni, sed totius orbis limitibus terminatæ fuerunt. Unde etiam factum, quod **Turci-**

Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Moscoviticus Imperator, & alii Reges atq; Principes innumerabiles legatos spectabiles ad ipsum miserint, qui amicitiam jungere, societatem cum ipso inire, & fœlicitatem suam inde metiri cæperunt, quod tam illustre seculi nostri decus sibi conjunctum haberent: qui esset miserorum spes, afflictorum columen, vindex oppressæ libertatis, tyrannidis obex & scopulus, Germaniæ deniq; fomentum.

Ne expectetis Auditores, ut de re in oculos incurrente plus verborum faciam, ut faciles rationibus manus dederit, ut omnem cogitationem non in opes & honores defixerit, sed in religionis & justiciæ augendæ decus: ut perpetua vitæ integritas & rectè factorum nullo unquam tempore intermissus tenor in ipso fuerit: ut coluerit eos, qui oves Christi in campos & ad rivos sanæ doctrinæ ducunt, & pedo scientiæ in via tenent, ac lupos baculo veritatis avertunt: ut precibus & meditationi vacaverit, quo officio commodius fungeretur: ut egentes stipe largâ sublevarit: ut luxui nervos inciderit, aut cursum inhibuerit: ut legibus & bonis institutis auxerit regnum: jus æquum dixerit: ne quid in Ecclesia novaretur, præviderit: in Laplandiam, quæ ipsi parvit, fontes doctrinæ cælestis deduxerit: doctos viros ut & belli peritos conquisierit, & quicquid sumptuum in eos faceret, statuerit, se veluti in ararium referre, unde vicissim depromat, cum velit: ut deniq; nationem suam extulerit, & aliis populis admirabilem & formidabilem fecerit: & ut patria ejus

F

copiis

copiis locuples, opibus firma, gloria ampla, virtute honesta, finibus productior esset. Animadvertitis procul dubio, quantus dicendi campus mihi sit apertus, in quo me jactare haud decet, nisi historiam non orationem condere & contexere voluero.

Proinde ad finem defluat oratio mea, & breviter ostendat, quomodo Rex noster infestis tandem signis in hostem incurrerit, & conatibus ejus prosperis etiam fortuna inviderit. Nulli mortalium datum est, ut fortuna ipsius nulla calamitate contaminetur, & occasum nullum habeat, cujus aliquando ortus extitit. In tempore Rex noster lucis hujus usura frui cepit, in tempore etiam occubuit, ictu machinae manuarum sauciatus, & funesta glande trajectus: mare hoc turbidum enavigavit, & proventus est in beatum illum portum, quo velis remisque tendere debemus omnes. Vasalli sumus in hisce vitae miseris, cum Dominus DEVS feudum eripit, oportet nos ex hujus caduca & tumultuariae vitae sive perpetui exitii calamitatibus in quietem caelestis patriae migrare. Actum praeclare cum illo, qui extremum spiritum in victoria effudit, cujus virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit, cum sibi immortale monumentum rebus praeclare gestis extruxerit. Felicior Scipionibus, quorum major Linterni exulavit: minor a suis in cubiculo est interfectus: Felicior quam Sylla, qui respersus sanguine suorum civium crudelitati finem posuit: Felicior denique Iulio Caesare, qui oppres-

2.
oppressor libertatis, everfor legum, tyrannus patriae civili ferro atrocissima morte obiit.

Brevis quidem vita ipsi data est, at memoria bene redditae vitae sempiterna, quae si non esset longior quam haec vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriamque contenderet! Praeterea constat, quod semper ad utramque fortunam moderatè ferendam, & ad abitum è vita, quo nihil vulgi opinione acerbius, se pararit. Sapientes enim cum multa in vita acerbiora intelligant, & etiam sentiant, mitius aliquanto sentiunt, & mortem sic abhorrent, ut debitum naturae persolvendum animo pacato statuunt, & huc se cum primis parent, quantumque possunt, accommodent. Unde extremam pugnam initurus à rebus, quae ad mortalem vitam respiciunt, animum abruptit, & convertit omnem ad DEUM. Imò in accinctu contra hostes exclamasse fertur: IESU FILI DEI aeternae auxiliare mihi.

Stantem oportere mori Imperatorem, Vespasiani dictum est. GUSTAVO non fufficit stantem mori, nisi & pugnantem, atque, ne hoc quidem, nisi & victorem. Pugnandi ardor & egressa modum virtus ipsum in confertos hostes praecipitavit, & conspectui suorum cum exorta nebulosi aëris opacitate exemit, & multis vulneribus fœdatum dejecit.

At male nobiscum actum, quia in morte unius plurimorum Christianorum vita periclitari visa est:

& totidem virtutem illam deplorarunt, quot nunc admirantur. Erat enim & fundus & firmamentum salutis publicæ, atq; tanquam aurora felicitatis subditis suis semper illuxit. In illo Rege cum virtute certavit fortuna, ut illius meritis supremum felicitatis fastigium imponeret. Neq; vero ullum perfecti magis & ad omnem virtutem expressi principis exemplar nostrâ & retrò seculorum memoria reperiri posse arbitror, quod iis, qui ad imperium virtutis via grassantur, ad imitandum proponi queat.

Videor mihi Auditores, alios in Suecia & Germania lamentabili ejulatu vicos ac plateas passim rumpere: alios passis & dilaceratis capillis gemitus & lamenta edere: alios parietes ac omnia domus suæ loca veste lugubri cooperire. Imò ipsam Sueciam mihi videor toto animo indolere, vim lachrimarum profundere, & conqueri miserabiliter. O me miseram, quæ Patre meo orbata sum ea tempestate, qua Patris maximè indigebam! Quo me vertam, quem rebus meis lubricatis patronum invocabo! nunc carendo magis, quam fruendo, quid boni habuerim, intelligo. Ipsam etiam Livoniam lamentari, & tales querelas edere mihi videor. Me miseram, quæ hætenus tanquam alter Hyppolitus lacerata & discerpta fui, & non nisi per *GUSTAVUM* veluti *Æsculapium* meum restituenda fui, ut vulnera mea hiantia convenienti cataplasmate consolidarentur! Quæ mihi jam spes relicta est, ut tutiori fortunæ fortunam meam credam! Si-

cut ex

2.
cut ex uno capite hydræ Lernææ amputato novem alia repullulant: ita unam calamitatem superatam statim excipit altera. Quis me tantum non exanimem & collabentem robore, ope, & consilio fulciet? O me item miserum, quod non in alio argumento hunc animum, hanc linguam Regi de me uni omnium meritissimo probare possim! Sed quod necessario patiendum est, etiam libenter patiamur: & solatio animum nostrum fulciat id, quod non tantum *DEUS*, sed & Pater noster sit, qui hoc vulnus nobis inflixit, tantoq; bono nos exsuevit. Si Pater, qui bonitas & benignitas totus est, qui non id bonum ac salutare, quod de Rege nostro statuit! Sit igitur ille dies non infelix, sed felicissimus, (loquor ex pietatis Christianæ sensu) quo beata Regis nostri anima soluta compage corporis se primum consuetudini cælestium immiscuit. Sic dies ille haud feralis ac funestus, sed serenus & candidus, quo puræ sanctæq; animæ ipsius exuvix in dormitorium ac monumentum suum conditæ fuerint. Hoc ego palam dico, Christianum orbem nobiliore calamitate insigniri nulla potuisse, quam morte hujus Regis. Det *DEUS*, ut tandem omnes doloris reliquias ex tam inopinato obitu contractas excutere possimus, nec superiorum temporum plangere recrudescant, At tu Optime Rex, qui tuo fato functus es, salve & vale: quid enim dicam aliud! Salve, inquam, & vale, regni tui heu quondam solatium, nunc desiderium, & exemplum ac decus boni Regis *GUSTAVE*

F 3

ADOL

ADOLPHE. In quo bono nomine, ne vestra Auditores patientia nimium abuti videar, desinam, perfunctus tanto hoc laudationis munere, quo forsitan aliquibus satisfeci, mihi sane minus, rei vero magnitudini minimè: iis vero, qui aliorum laudes convitiis obterere, & claros veritatis radios nube mendaciorum obducere student, plus minus: & frustra sit, qui se ad eos quasi aurificis stateram examinandum sistat.

Reliquum est, ut ad divinam Majestatem vota faciamus pro salute publica: ut Regum ille Rex & pervigil humani generis custos **Serenissimam CHRISTIANAM**, Reginam ac Dominam nostram **Clementissimam**: **Serenissimam** item matrem **MARIAM ELEONORAM**, Reginam & viduam **afflictissimam**: & totum inclytum regni Sueciæ Senatim imperio quam diutissimè conservet: & quemcunq; mœrorem ex obitu Regis nostri gloriosissimi contraxerunt, minuat sive condiat, ne perpetua amaricie suffocentur. Idem benignissimus **DEUS** faxit, ne alienum à suis partibus judicent, si in ejus, quem desideramus, vitam actionesq; se referant, & inde subditis suis proponant, quæ usui esse possint, Quam graviter hæc Seneca Tragædus paucis versibus complexus est:

*Consulere patria: parcere afflictis: ferè
Cede abstinere: tempus atq; ira dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo:*

Hæc

*Hæc summa virtus, perituræ hæc calum via. Ita futurum speramus, ut **GUSTAVVS ADOLPHVS** non è vita & Suecia excessisse: sed in se altero juventutem & imperium denuo auspicatus esse judicetur. Id Sueci sua cumprimis interesse: sed cæteri etiam ad salutem adhaerentium provinciarum, in hac Regum tam usu rerum, quam consilio præstantium paucitate, & tanto periculorum domi forisq; imminenti meru pertinere, non falso existimant.*

DIXI.

Sabellicus lib. 10. c. 14.

QUæ defunctis dantur, mera pietas est, merus amor. Anteactæ vitæ testimonium, in quo non spectatur, quid velit is, cui honos exhibetur, sed quid meritis sit, non quid alii dandum putent, sed quid quisq; datum velit: nihil enim efficacius est aut aptius ad colendam defunctorum memoriam, quam humani animi affectus, qui liber est, nec ab ullo cogi potest.

Cicero i. Thuse:

Pellantur ista ineptia penè aniles: ante tempus mori, miserum esse. Quod vero tempus! Natura ne? At ea quidem dedit usuram vitæ, tanquam pecunia, nulla præstita die. Quid est igitur, quod querare, si repetit cum vult!
ca enim

ea enim conditione acceperas. Qua vero atas longa est!
aut quid omninò homini longum! Nonne modò pueros mo-
dò adoloscetes in cursu à tergo insequens, nec opinantes
assecuta est senectus!


Seneca Epist. 94.

OMnia ista perinde, ut cuiq; data sunt, pro rata parte
aut longa aut brevia dicuntur. Quæris, quod sit am-
plissimum vita spacium! Usq; ad sapientiam vivere. Qui
ad illam pervenit, attingit non longissimum finem, sed
maximum.

Seneca 4. de virtut:

Iustitiam sectari de sideras, primum DEum time & ama,
ut ameris à DEo. Amabis autem DEum, si in hoc il-
lum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, nulli nocere: &
tunc te virum justum appellabunt omnes, sequentur, ve-
nerabuntur, deligent.

DIXI.



EPICEDIA

IN OBITVM

GLORIOSISSIMI & AVGV-
STISSIMI PRINCIPIS

GVSTAVI ADOLPHI
MAGNI, SVECORVM, GOTHORVM
VVANDALORVMQVE REGIS,

Magni Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ Ca-
reliaq; , nec non Ingridiæ Dno &c. &c.



VSTAVE semper Maxime Principum,
O & resplendens Sarmatici jubar
Orbis, Salusq; afflictiori
Teutonix data sacro ab axe,

Ergo serenam, Rex bone, Patriæ
Vultus tui lucem, tenebroso in hoc
Tentorio, reddes dehinc vix
Solicitâ prece te vocanti?

Ergò quietas, Dux bone, ferias
Gratis sub umbris imperii tui
Præstabis haud posthac Livonis,
Proh! nece sanguinea peremptus?

G

O dura

O dura quæ nos fata premunt ! opus
Quid factò ? Olympi excanduit ah nimis
Ira & furor ! quem nos pudendis
Flagitiis meruisse constat.
E ffrons & audax omnia perpeti
Humana semper gens veritum nefas
Patramus incestosq; amores
De tenero meditamur ungui,
Quem flagiti ? quem jam sceleris pudet ?
Eheu quid unquam dura refugimus
Ætas ? quid intactum nefasti
Liquimus ? Vnde manus juvenus
Metu Iehovæ continuit ? quibus
Pepercit aris ? Vndiq; jam vides
Ritusq; muratos sacrorum &
Templa suo spoliata honore,
Quid restat ergò ? Vera teruncii
Veri æstimatur religio DEi :
Hic ergò neglectus rependit
Teutoniæ mala luctuosa ?
Non ergò majorum immeritus luit
Delicta mundus, quando necessitas
Acerba, magno cum tumultu
Teutonicos populatur agros,
Nos interim votis decet omnibus
Lenire tantos Numinis impetus,
Vitam trahendo sanctiorem,
Qua sine nulla salus repõsta;

Hoc

Hoc da benignè, Christe DEus, tua
Propter rubentis vulnera sanguinis,
Fac ut dies Solesq; post hac
Candidius niteant Livonis.

M. JOHANNES DOLMANNUS
Eccles. & Inspect. Scholæ Rigenfis.



W Iga du wehrte Stadt/von der die Siegesfahne
Der grosse GUSTAV führt/der Schweden Zier vnd
Krone:

Vnd ihr sein ander Ruhm ihr Preussen/bevoraus
Du edles Brandenburg du rechtes Fürsten-Haus.
Ihr Prinsen hochgeehrt/auf Meckelnburg entsprossen/
Die ihr GUSTAVI Treu vnd grosse Dienst genossen.
Ihr Pommern unverzagt/Stralsundt du trube Stadt/
Dergleichen Ferdinand nicht mehr gesehen hat.
Ihr Sachsen wolgemuht/Ihr Schlesier verheeret/
Ihr Böhmen vmbgekehrt/Ihr Mähren auß gezehret;
Vnd was von Früstenthümb auch grosse Städter mehr/
Die oder/Donaw/Elb/können vmb-armen schier.
Ihr Dennemärcker all des Könings Herrs ihr Finnen/
Ihr Moscovieter Reich/vnd was ich mag besinnen;
Ihr stolzen Batavier/Ihr Helden von Frankreich/
Von Grossbritannten den mächtigsten geleich.
Steht still vnd nehmet war/steht still/die trüben Zehren/
Sich dringen allbereit/vnd thim den Lauff vermehren;
Die Scuffter voller Angst verstellen vnser Herrs
In Klagen gehen wir/wir gehn im vollem Schmerz.
GUSTAV der theure Held/der Christen Frewd vnd Krone
Des Landes Ehr vnd Ruhm/der grossen Helden Wonne.

G ij

Der

Der rechte Gideon, der exulanten Stab
Ist eine todte Leich vnd wird gelegt ins Grab!
Israel Gottes Volk/erneure deine Klage
Lass stieffen als ein Quell die Thränen nacht vnd tage
Lass deine Sangerin vnd Sanger stimmen ein
Ach wo ist vnser Trost! Ach/ach er ist dahin!
Das umbkommen ist der Held der vns geschünet
Der Held der Gottes Hauff mit weissen Raht genühet
Der Held der für vns hat verlassen Land vnd Leut
Sein Leben auch für vns/gegeben hin zur beut.
Ihr Töchter Zion all/nun Weint vnd traget Leide
Wehklagt vnd Weinet sehr/im Sack vnd Trawer Kleide
Der mit Rosienfarb euch gekleidet allezeit
Der ist jkund dahin/gefallen in dem Streit.
Es klage jedes Land D wir betrübter hauffen!
Es schlage seine Brüst vnd thu die Naar außrauffen!
Es schreye was es mag vnd klopffe in die Händ'
GUSTAV gefallen ist D vnser groß Elend!
D Gott du trewer Gott nun sih' vnd nim zu Herken
Das Leid so vns betrifft/schaw vnser Sorg vnd Schmerken
Mit Vateraugen an. Sih' Herr was vns gebricht
Kein König haben wir vnd keinen Vater nicht.
Hin ist GUSTAV der Groß/der sich für vns gewehret
Vnd seine stolze Brüst dem Feinde hin gekeret
An stat der Mawren selbst. Hin ist der thewre Held
Von Königlichem Stamm der sich für vns ins Feld
So frey gewaget hat. Hin ist der in den Schlachten
Sein Rechte oft entblöst/vnd keinen Feind thet achten.
Hin ist der wie ein Löw auch mitten in der noht
Gereizet seinen Feind vnd nicht geschewt den Todt.
Die Sonne die vns sonst den Himmel thut auff schliessen
Verhült sich im Gewolck/das Wasser wil nicht stieffen

Die Erd verdorret ganz/vnd wehr ist der nicht helt
In schwarzen Kleidern hie/sein Angesicht verstellte?
Das mächtig Schweden Reich so jimmer fort thut gläncken
Vnd jimmer höher steigt/das auch der Sonnen grencken
Fast vberschreiten solt/vnd in sein Regiment
Er krieget manches Volk so viele nie gekennt.
Erit jso schwarz herein/vnd schlägt für tieffen Schmerken
Die Augen vnter sich. CHRISTINA klagt von Herken
Ihrs Herren Vaters Todt/die Mutter ELENOR
Sih't keines Tages Licht/kompt nimmermehr hervor.
Der arge Christen-Feind der Türck weiß auch zu sagen
Von diesem Todes Fall/der schwarze Moor thut klagen;
Vnd was von Feinden lebt müssen bekennen frey
D das der kühne Held GUSTAV gefallen sey!
So ruhe nun GUSTAV, weil du bey deinem Siegen
In Regen vnd in Schnee/in hitz vnd frost mußt liegen
Du hast in vnruh lang mit grosser müß gewacht
Du hast die Freyheit vns du hast vns ruh gebracht.
So ruhe nun GUSTAV, nun ruhe in dem Herren/
Von aller Arbeit/Müß/von Wunden vnd Beschwerden;
Du hast den Feind gestürzt den Babst zitternd gemacht
Vnd in das Römisch Reich beben vnd schrecken bracht.
Von deiner Wiegen an/vnd in der zarten Jugend
Da hat man schon gesehen/wie das die grosse Tugend
Den Weg der Ewigkeit/den Zweg/diß lange Ziel
So die Natur gesteckt dem der nicht faulen wil
Allein geliebet hat. Du hast die freyen Künste
Aufrechtem grund studiert/vnd nicht geschäwt ins minste
Groß Arbeit vnd Beschwer/die Sprachen gnaw vnd wol
Als einer der den Bauch davon ernehren sol.
Hierbey hast dich geübt/hast Sonn' vnd Staub erlitten/
Geschossen vnd gekänfft/marschiret vnd geritten

Erwiefen das die Hitz vnd grosse Waffen-Lust
Nicht ohn gefehr gepflanzet in eine solche Brust.
Im Regiment hastu drey ding: sehr hoch geachtet
Wornach mit allem fleiß/mit Sorg vnd Müh getrachtet
Das reine Gottes Wort/dann die Gerechtigkeit
Vnd das der güldne Fried beständig bleib allzeit
Deins Herzens einig Freud/war wenn du möchst anhören
Wie das des Herren Wort thet seinen Willen leren
Auch wie du schützen möchst die beyden Sacrament
Ohn Bäßstisch Menschen Landt biß an dein lebens End.
Das große Katzen-Nest/die schwarzen Jesuiten
Für die sich alle Welt/für die sich König hüten
Die hastu weg gethan/du hast sie außgekert
Auff das des Heren Wort/würd vnverfälscht gelert
Wie König Salomon weißlich dein Volk regieret
Wie König Josias zum Fechten außgeführt
Für Gottes Ehr gekämpfft/die Kirchen hochgeziert
Schulen erhalten wol/newe dabey fundirt.
Der Segen war bey dir/das Glück auff allen seiten
Gott richtet deinen Weg/Gott halff dein Rechte streiten:
Vnd wo du hin gedachst/der Höchst in aller Welt/
Der große starke Gott zug mit dir auß zu Feld.
Dein schönes Angesicht/annühtig voller Freude/
Die Glieder wol gestalt/die klaren Augen beyde;
Erhebe wer da wil/ich rühme deinen Geist/
Ich rühme wie du hast dein Heldennüht erweist.
Ich rühme wie du hast/thun deine Red: anstellen/
Vnd dein Volk auff gemahnt/ O trewe Kriegs-gesellen
Frisch auff Soldaten wehrt/die ihr fast tag vnd Nacht
In Waffen als gewohnt vnd euch geschickt zur Schlacht.
Frisch auff ihr Brüder mein/schreckt nicht für diesen hauffen/
Schreckt nicht ich sehe schon/sie werden vns entlauffen/

Dann

2.
Dann nicht der grosse Hauff/es ist allein der Mühe/
Dadurch ein taffer Held/ein Heer obsiegen thut.
Doch vielmehr Gottes Hand/der vnser Thun regiere/
Vnd nach dem Willen sein/des Krieges außgang führe/
Ihr wisse wie Gideon, nur mit drey hundert Mann/
Die ganze Krieges Macht versäget von dem Plan.
Ihr wisse da siegt man nicht/wo Würffel/gläser Schanzen:
Wo Fahnen in der Luft wo scharffe Kugel tanzen/
Der Sieg die Krone trägt/vnd sie denselben giebt/
Der seinen Nahm erhöht vnd rechte Tugend liebt.
Ich rühme wie du hast von vnserm Hals: gerissen/
Deß Feindes schwere Last vnd es zu deinen Füßen
Rühmlich geleet hin/ich rühme wie dein Schwert/
Gerechnet vnser Leid vnd ihren Sitz verkehrt.
Ich rühme wie du hast zu rücke lassen bleiben
Die deinen Vnmüht lönt/durch ihre Lieb vertreiben
Vnd für vns allen da geleichsam wie mit Luft
Gestellet deine Seit/gekehret deine Brust.
Ich rühme wie du fast allzeit vorn an geritten
Vnd in sein eigen Land den grossen Feind bestritten
Ich rühme wie du auch entlich den letzten Sieg
Erworben durch dein Blut/ gefallen in den Krieg.
Gerühmet mustu sein von vns in diesem Leben
Im Himmel werden dich die Engel thun erheben
An der bedrengeten Kirch du grosses hast gethan
Vnd der Elenden Noht dich sehr genommen an.

JOHANNE HOVELIO M. D.
& Profess. Gymnasy.

Anagrammatismus.

GUSTAVUS ADOLPHUS.
ALPHA USU DO GUSTUS.

Dum

Dum vixi, feci, quod Teutona terra cupivit,
Armigeris studiis victor ubiq; fui.
Mi Megalburgum; Pomerania, Marchia, testes,
Atq; fidem Saxo sentit uterq; meam.
ALPHA fuit durum, melior successus at inde
Diis placuit semper prosperiore gradu.
Me ocului tandem curâ fessusq; labore
Ex placito, quod tum prava signa dabant.
Non tamen extinctus latum sepè exero vultum,
Vincere perdocui viscera namq; mea.
Principium utq; fui reparata, Saxo, salutis,
Et fortis gessi bella probata tibi.
Sic post fata USU gratos DO perpete GVSTVS
Nam mea Papicolas cauda Leonis arat.
Ipse ego GVSTAVVS victor nunc dicor ADOLPHVS
MAGNVS, Rex Christo, gloria magna solo.
Atq; satur mundi, mundi nunc abnego lusum,
Inveni portum, non mihi terra placet.
Siste gradum Domitor: linques nos Rexq; paterq;
Orbos? ô partos fors ferat una simul.
Quis ferus aut dirus vita tua stamina rupit?
Ah ferus & verè ferreus ille fuit.
At quoniam nequeunt vitam remorariç ulla
Rex pie cœlestem vota precesq; tuam.
Indignos elegos pro summis suscipe donis
Hos, namq; in magnis, quid voluisse, valet.

Sint

2.
Sint tibi Rex lachryma, luctus, dolor, urna, tuorum
Quando aqua est meritis gratia nulla tuis.
Suscipe vota, Tua Soboli sint regna paterna
Æternum, vota hæc nam DEUS ipse probat.
Sarculus exurgat, qui Christi dogmata pandat,
Regnante alti volans Succia crescat eo.
O Soboles generosa, Patrisq; fidelis imago
Clemens subjectos aspice, quaso, tuos.
Respice per fines objectos faucibus hostis,
Atq; Patri pactos sanguine non minimo.
Turribus in nostris sit pax, Victricibus armis
Cumq; DEO aut miseros nos tege, Salva, rege.

Cygneum hoc melos submissâ devotione ac
debita gratitudine concinit

JOANNES ab VLENBROCK
Senior, Secretarius Rig.



Tis ἀνδρῶν κῦδος ἡμίση νῦν τε καὶ αἰῶν
ἔνσεβεία, ἐπιεικέει, ἀνταρκῆ ἀποσχόντως,
ἀνδράσιν ἐν θνητοῖς μέγα τ' ἀφθιτον ὄνομα θῆσαι,
τῶ βασιλεῦς βασιλεῦ φίλιον πάντων τε φίλιος,
ἦρωθ' μεγάλα μεγάλων πᾶντων τε μέγιστος,
ἔνσεβείῳ τ' ἐρικυδέος ἔνσεβείων ἐρικυδῶν
ἀπᾶντων, ἀρετῆς πάντων τινῶν τε ἀρίστος;
ἀσπίς, ἀνδρείς, ἐν γαίῃ, ἐν οὐρανῶ, οὐδαίς,

H

obis

ἴδετε, εἰ μὴ ἀυρανόθεν θεὸς ἦρξεν Ἰησοῦς,
αὐτομάτως φωνῶν βασιλῆϊ ἡμῶν θεοπέμπτου.
ἔρχεσθ' ἄναξ ἀγαπῆτ' ἡμᾶς γενετῆρ' ἀγαθῶν,
ἐνθύμως κτερίζετε νῦν μεγάλην βασιλείαν.

ἦς συμπαθείας ὄφραλο-
μείνης ἔνεκα

M. AGGÆUS FRIDERICI
Scholæ Rig. Rector.

Vixit GVSTAVVS! vixit GVSTAVVS ADOL-
PHVS!

Atq; utinam nobis, Germano & viveret orbi!
Magna hominum jactura solo, sed maxima Regum.
Vixisti, Rex Magne, Rigæ spes una Livonæ!
Quid Rigæ dico? Germani assertor honoris
Vixisti, Rex Magne! quid hoc? Decus Europæi
Orbis vixisti! Miraculum Regis in oris
Christiadum! quin Dæmonium Rex alme fuisti
Regis! ὁ huc Tilli, huc Fridlandus prodeat hostis!
Sustulit Austriaci quem dira ferocia Zeli,
Immeritò, nî fallor ego: Solatia genti
Cæsareæ! meritæ hæc est exspectanda cohorti
Merces! In Sueonum castris sunt præmia. Celse
Ochsenfirne tuis non talia præmia ponis:
Vos Sueonum Proceres, queis commendata Virago est
Regia, spes Sueciæ, terræ spes ampla Livonæ,
Hæc non consuevisti proponere præmia Vestris.
Succus ego malo, quam Cæsarianus haberi.
Suecia tu clemens, gens Cæsariana tumescit.

Princi-

Principibus vitio est ira, at moderatio laudi.
Sed quid ego hæc autem? *GVSTAVVS ADOL-
PHVS* ad imos

Descendit manes! dixi ut, decus Europæum!
Dæmonium Regis: Fidei defensor honorus;
Perfugium gentis, vexat quam Factio Papæ!
Relligionis honos, & mundi gloria! vindex
Afflictæ plebis! quem summus *JOVA* coronat
Optatis cæli, res certa est, undiq; donis.
Sed nunc non locus est, laudes cantare Monarchæ:
Fortè alias dabitur. Rex hac Pimpleide gaude!
Salve delitium Regis, quo *Martia* gaudet,
Quoq; caput cælo Ductore Suecia tollit!
Maxime Rex salve! salve novus hospes Olympi!
Doncerunt homines, celebrabere magne Monarcha!

MARTINVS HESPERVS, Corrector
Scholæ Rigensis mastus fundebat.

*M*agnus Alexander soli cupiebat Apelli
Pingi; *GVSTAVVM* pingere nemo potest:
Omnis Apellæ minor hic solertia in arte:
GVSTAVO similem secula nulla dabunt.
Pellæo juveni complures Livius æquat
Romanos belli fulmina sæva viros,
Nonnullos audax illi præcipit; *ADOLPHO*
Historicum referent quem monumenta parem?

H 2

Illo

*Ille Monarchia collecta in robora regna
Principibus cessit dissolvenda viris;
Hic coalere facit Summates corpus in unum,
Vinit & in Ducibus post sua fata suis.*

JOHANNES GAMPER
Curo: Golding. C. S.

MArmure candenti MAGNUS GUSTAVUS ADOLPHUS
Fortiter extinctus tegitur: monumenta virecent,
Posthuma: GUSTAVUM totus mirabitur orbis.
Eusebiam eripuit Lojolæ è faucibus, alma
Europa ut strueret priscis altaria flammis
Jovæ. GUSTAVO mirando vindice, clara
Saltibus Hercyneis, posito squalore doloris,
Jam libertatem Germania jactat avitam,
Victorem hunc Moschus coluit: tua, Sarmata, tellus
Sæpe illi tribuit subjecta Borussia palman.
Nec tu Plissa taces, nec densa Viadre, furenti,
Flumina nec Lechæ Tilli tepefacta cruore
In freta volvistis quot funera gurgite MAGNI
GUSTAVI constrata manu & victricibus armis,
Audito tremuit GUSTAVO Tybris & alta
Cornua Danubii sinuosis flexibus ultrò
Disiluire locis. Magnum Decus addite Divis,
O salve æternum Suecorum vivida virtus;
Qua inter mortales tantum caput extulit omnes
Celsa abies quantum inter humi nascentia fraga!
Salve Dive Heros, victricia tempora lauro
Æterna cinctus rutilantis climata coeli
Sub pedibus placida & miraris mente labores
Mortales, geminisq; patrem complecteris ulnis
Heroem Carolum (leto qui præviis arcis

Regna

2.
Regna adiit superæ) captum fugientia mentis
Mortalis, vultu Ambrosio tot gaudia volvis,
Gaudia perpetuis non deficientia seclis.
Ante suas Dunam Mysenum Teuto per oras,
Albim aut Livonus bibat: aut hæc Balthica lymphis
Æquora destituent nudas in littore naves:
GUSTAVI Herculeas laudes & facta perenni
Tollere quam plausu hinc ad sydera desinat orbis.

*F. Jacobus Grayus, Annebergâ-Misnic.
Schol. Rigenf. Coll.*

Suecia MAGNUM suum GUSTAVUM æqu-
rox ex Germaniâ reducem totidem ex Heroum enco-
miaste excipiens Versiculis, quot ipse Heros
compleverat annos.

OGUSTAVE decus nostra memorabile gentis,
Quo nec major erat quisquam (nec forte futurus),
Quotquot Sueciaci tenuere sedilia Regni,
Salve, ah Salve! Eben quantum mutatus ab illo
Principe, quum lepidus Ventis votisq; secundis
Linqueret Holmiaden, Stralesuntam & classe petebat.
O Lux Suecorum, spes ô fidissima Teuthum,
Qua tanta tenuere mora? queis victor ab oris
Expectate venis? que causa indigna serenos
Fedarit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Hic clara virtutis honos? hæc gloria sceptri?
Hoc magni decus Imperii? talesne triumphos
O GUSTAVE refers? Patria num facta quietis
Spes hæc ampla satis? num meta optata laborum?

H 3

Hec

Heu miserum! quam precipites labentia casus
Secla agitant, quanto volvuntur fata tumultu?
Qui tam sublimes referebas clarus honores;
Barbara quem soboles Moschi, quem Caesar in armis
Horrendum, & trepidi toties sensere Poloni,
Nunc, GUSTAVE, jaces miserandum & flebile corpus.
Jam mutum est sine voce caput; quo pulchrior alter
Non fuit in tota Sueciâ, nec gravior ullus
Eloquio, nec quis positus ingentior armis.
Dic ubi forma nitens, ni veaq; in fronte serenus
Ille decor, rutilans oculorum aspectus, & alta
Sidereus cervicis honos? his gloria Martis
Contigit auspiciis? talin' rediture paratu
Discedens voluisti a vidis te credere bellis?
Heu mortem invisam, qua sola ultricibus armis
Elatos frenas animos, communia toti
Genti sceptrâ tenens, aeternaq; fœdera servans.
Qua magnos parvosq; teris: qua fortibus æquas
Imbelleis, populisq; Duces, seniumq; juventa.
Heu mortem invisam, qua causa indigna coëgit
Eripere, atq; meum crudeli vulnere Regem
Afficere? Heu crudele nefas. Deplangite Regem
Vos Sueci & Suevi, cunctiq; dolore repleti,
Et breve Regali tumulto superaddite carmen

HAC

0.
HAC TENVI MAGNUS DORMIT GUSTAVUS IN VRNA. H
AC TENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HA
C TENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HAC
TENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACT
ENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTE
NVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTEN
VI MAGNVS DORMIT GUSTAVVS IN VRNA. HACTEN
VI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI
MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI M
AGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MA
GNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAG
NVS DORMIT GUSTAVUS IN VRNA. HACTENVI MAGN
VS DORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGN
S DORMIT GUSTAVUS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS
DORMIT GUSTAVUS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS D
ORMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DO
RMIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DOR
MIT GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMI
T GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMI
T GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT
GVSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT G
VSTAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GV
STAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVS
TAVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVST
AVVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTA
VVS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTAV
VS IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTAV
S IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS
IN VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVSE
N VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN
VRNA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VR
NA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VR
NA. HACTENVI MAGNVS DORMIT GVSTAVVS IN VRN
A. HACTENVI MAGNVS DORMIT GUSTAVUS IN VRNA.

M. JOHAN-CASPARVS Hauser Tubing.
SS, Theolog. & Med. stud.